



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem excentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetii, 1706

Benevolo Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

BENEVOLO LECTORI.



N Lector Amice Opusculum hoc , utilitati meæ prospecturus , non alienæ , compactum , tum Venusi Pastoralem Curam JOANNE FRANCISCO DE LAURENTIIS , viro eruditissimo , ministrante , tum Aësii Præsulatum clar. mem. PETRO MATTÆO , S. R. E. CARDINALI PETRUCIO , moderante , Vicariatus munere fungens ; tum demum Romæ ejusdem Cardinalis in exercitio Auditoris adscriptus ; sed amicorum consiliis , ac Dominum mei , dum viveret , adhortatione , Tyronum gubernacula assumentium commoditati propono . Si quid boni ex illo decerpes , Patri lumen , qui summa bonitas est , & à quo bona cuncta descendunt , tribue ; si quid tuo indulgens ingenio adnotabis , charitatis tuæ pallio cooperias precor ; ac postremò , si quid Orthodoxæ Fidei , ac Sanctorum Patrum dogmatibus haud consonum conscriptum repries , non ex voluntate hoc accidisse profiteor , & Sanctæ Sedis severæ litturæ submitto .

In lucem igitur prodit Opus , cuius inscriptio FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM FORI ECCLESIASTICI : Et scias Juris quæstiones non more Cathedratico , seu Scholastico contenturum , sed tantum surculum ad gubernia accendentium infringens , & quasi manuducens ad id , quod sœpius in Ecclesiastico Foro occurtere potest , planam methodum præbiturum .

Hoc tamen contexere placuit in simplicitate sermonis , tum quia multum est legibus amica , ut advertitur in *Inst. de Fideicomm. hæredit.* §. *Sed quia* ; tum etiam , ut Vicarii , ac Episcopi vim , ac virtutem Clauſularum calleant , & quomodo munia ipsis credita , Canonum Sanctione servata , explere debeant .

Quas conscriptas Formulas adnotabis , licet hujusmodi inter Moderniores tradiderunt Barbos . *de Offic. & Potest. Episc.* Tambur . *de Iure Abbat. & Abbatiss.* Pac . Jord . *lucibr.* Pelliz . *de Monialibus* , Corrad . *prax. Benef. & dij. p.* & alii , nonnullas accepisse fateor ex laudatis Authoribus ; non tamen , ut in eorum codicibus jacent , refero ; sed ut plurimum vel auctas , vel ad usum magis accommodatas invenies : Et major , quæ extat pars , ex mea ingenii tenuitate , ut casus in utroque Vicariatu accidit , est deprompta . His autem non est Judaicè insitendum , aut sicuti Bononienses Carrotio inhærendum : pluribus enim non omnibus materiis adaptari poterunt . Tibi igitur juxta facti circumstantias pro modulo tuo , & augere , & variare fas erit .

For-

Formulis hujusmodi non abs re esse duxi, adnotaciones injungere, ut magis earum vis elucescat; deque his sermocinando, non parvi momenti dubiis, quæ persæpè accidere poterunt, in eodem Foro obviam ire studui: Si autem de omnibus non satisfaciam, excusatum me habeas, & non omnibus datum esse nosse omnia, recordare: Consule autem Authores citatos, qui fideliter (nisi Typographus erret, ut sæpè accidit) laudantur. Ne parvi facias eorum exiguum numerum, non enim ex multitudine Authorum, opinionis, ac sententia veritas pendet, sed ex rationum pondere desumitur. Adnotaciones hujuscemodi maximo fulcro subsidere curavi Decretrum Sacr. Congr. tūm Concilii, tūm Episcoporum, ac & Immunitatis: de his haud dubitandum tibi erit, nam aut ex Registro eorumdem manibus propriis accepi, aut ex Originalibus foliis, & Votis antedicti MERITISSIMI CARDINALIS, quæ penè me adhuc extant, desumpsi.

Accedit tandem huic operi in postrema parte nonnullarum Apostolicarum Constitutionum Appendix, de quibus persæpè in hoc Libro fit mentio, nimirum ad rem pertinentium, & muñeri Episcopali exequendo scitu apprimè dignæ: ideo per extensum transcribere eas curavi, non ut voluminosum codicem Typis mandarem, sed ut Bullario carenti consulerem.

De uno autem te monitum volo, plura eodem opere contineri non facilè ad praxim inducitura, vel quia Principes Sæculares, illorumque Ministri contendunt, & non expedit, aperte resistendo, his bellum indicere cum Dignitatis Episcopalis discrimine, animarumque subditarum maximo damno: vel quia alibi corruptelæ, ac abusus sint adeò annosi, & inveterati, ut nisi prudenti dissimulatione tollerentur, majora indè mala probabiliter oritura timeantur: Itaque in memoriam tuam redigo, quod *Apostolus I. Corinth. c. 6. & 10.* fatetur, *Omnia quidem Episcopo pro salubri Animarum cura licent, sed non omnia expedient, nec ædificant.*

Deinde summatum, benigne Lector, si attentè perleges, quid Episcopi, eorumque Vicarii, quid Parochi, quidve Confessarii debant, & valeant de jurefacere, habebis. In multis pererrasse, ac defecisse me non præterit; sed te non fugiat, quòd etiam quandoque bonus dormitat Homerus: Cognitumque habeas me meo perfunctum munere, Amicis, atque Benevolis satisfaciendo, qui de hoc mihi maximè tenentur, dum, ut ipsis indulgerem, tenuitatem meam palam ostendere non puduerit. Tibi igitur sisto ornatum, & qualecumque extat, & rogo, grato accipias animo, quod libentissima offert manus. Vale.

INDEX